

14.
a

FACULTATIS MEDICÆ IENENSIS DECANI
IO. HADRIANI
SLEVOGTII,
M. D. ANAT. CHIR. & BOT.
P. P. ITEMQUE MED. DVC.
PROVINC.

Prolusio Inauguralis
DE
PHTHISI
MEDICORVM OPPROBRIO.

LITERIS KREBSIANIS.





Q. D. B. V.



Ostquam haecenus *hydrops* & *quar-*
tana feliciter, quam olim, per modernorum
medicamenta, chimica pariter ac simplicia,
superata, cessarint *Medicorum scandala*
plana appellari; factum est, ut ab osoribus
artis, in novam ejus contumeliam, Phthi-
seos rebellis natura allegari, & *opprobrium Medicorum* passim
appellari coeperit.

Est vero *Phthisis* malum prorsus subdolum, simulque
tenax & crudele. Subdolum id vocamus, quia non tantum,
quamdiu recens est, & quasi in gramine, sed etiam postquam
adolevit, agrotantibus pariter, ac ipsis Medicis falsis imagi-
nibus illudere consuevit.

Quippe apprehendit ut plurimum homines, nihil mi-
nus, quam de eo cogitantes, obsidetque *εὐεξίας καὶ εὐχοίας*
suae nimium securos, ut vel non sentiant periculum, in quo
versantur, vel tamen minus idem aestiment.

Solenne enim est phthiseos candidatis, ut, sicut podagrâ
laborare incipientes, hujus mali primos insultus modo ar-
ctioribus calceamentis, modo improvisæ pedis ad rem duram
allisioni tribuere, communissime autem schemate erysipelatis
eos velare solent; ita & isti tussim, febriculam, & reliqua sym-
ptomata gliscentia, vel tempestatis vitiis, catarrhisque, vel
malo hypochondriaco, aut ventriculo, purgatione indi-
genti, adscribant; usque dum sero animadvertunt, se, instar
svave rubentis pomi, intus vermem, succum atque sanguinem
exedentem, aluisse.

Medicos autem, cæteroquin haud oscitanter affectuum
signis animum advertentes, ita fallit, ut, quando putant, fe-
brem

(o)

brem hecticam, & tussim, lentamque tabem in ulceratione pulmonum fundari, & invicem hæc juncta formam ægritudinis constituere, post mortem autem in dissecto thorace fontem tot malorum detegere, agnatisque defuncti ostendere volunt, tunc vel plane nihil, quod accusari debeat, vel saltem pulmones minime exulceratos ostendere queant.

Dicemus, quid nobis ipsis repetitis vicibus contigerit. Corripiebatur Studiosus procerus, macilentus, cholericomelancholicus, ex represso risu, subitaneo & punctorio dolore sinistri lateris thoracis, hinc tussi & cruenta exspuitione; quæ toties per clamorem, sublevationem ponderis, pulverem sternutatorium, corporisque incurvationem nimiam recrudescabant, quoties per V. S. & apta remedia interna externaque sopita erant: donec tandem vires cum sanguine, ad multas libras extuffito, deficere inciperent, ægerque a febre, copiosa excretionem puris, respiratione, ob dolorem pectoris obtusum, curta, vigiliis, sudoribus colliquativis extreme emaciatus, præter voluntatem suam & vitæ longioris cupidissimus fati concedere cogere. In cadavere erat pulmonis dextra pars sanissima, sinistra autem tumida, exsucca, & instar sarcomatis dura, puris omnis experta, cujus nec vestigium nec vasa in thorace & collo apparebat.

Vidimus etiam juvenem, pariter ex hæmoptysi phthisicum apparenter consummatum factum, qui non modo copiosum pus cruentum, sed tot fibras etiam membranaceas intermixtas, ad finem vitæ, per tussim cum febre extrudebat, ut adstantes eum totam pulmonem molem rejecisse crederent; quos tamen integerrimos habebat, purisque & fibrarum fontem non nisi una glandularum istarum, quarum duæ asperæ arteriæ & œsophago adhærent, offerebat, ex qua ostiolum angustum in canalem trachææ spectabat.



Rursus alius, jam antequam lecto plane affixus teneretur, pro lubitu quasi, per tussim, & sine ea, per solam intensiorem exscreationem ℥j vel ℥ij liquoris lactei, parum olentis, una vice in volam manus expuebat, & bene comedens atque bibens, spatio trimestri per febrem, vigiliis, tussisque continuam dictæ materiæ, ad sceleti habitum deductus, ad plures abibat, ab omnibus phthysicorum numero adscriptus. Sed & hujus pulmones & reliqua interanea sine labe erant, nisi quod in thymi sede exiguum ulcusculum, vix avellanam capiens, & nec pulmones, nec arteriam asperam attingens, hæreret, obscurumque maneret, unde tanta copia lactei chylosique liquaminis tam celeriter, & tam diu hauriri potuerit.

Possent, si instituti ratio permitteret, ejusdem argumenti plura exempla, ex propriis alienisque observationibus adduci, nisi hæc sufficerent, ut per ea ostendatur, quam ægre, an pulmones ipsi, an vero aliud viscus intra mediæ ventris limites laboret, cognoscatur, simulque indomabilis ejusmodi exulcerationum natura, & quo jure ipsa phthysis tenax malum supra a nobis appellata fuerit, elucescat. Nam vix hospitium, in quo sibi semel firmam sedem formavit, unquam deserit; sed habitat ibi, tanquam in domo propria, unde minime se ejici patitur, quicquid etiam æger contra moliat: qui vel ideo miser dicendus est, quod dum demum sanitatis præsidia sibi comparare laborat, quando vix certa amplius spes eam recuperandi est relicta. Cessat enim in hoc morbo τὸ παρρησιαζόμενον, quod bene cognoscens, bene curet; quia phthysis tunc quidem facile abigitur, quando nonnisi obscuris sese signis prodens, ex occulto & quasi ex insidiis adversus hominem adhuc stantem ambulantemq; spicula sua vibrat; & contra ea insuperabilis evadit, si tam diu in corpore commoratur, ut per manifesta & vulgo nota criteria detecta prosteret.

Depa-

Depascit autem incessanter substantiam corporis solidam, eamque non tantum necessario alimento privat, usque dum nudis ossibus pellis supertensa maneat, sed molestissimis insuper, & per intervalla variantibus symptomatibus gravis est, quorum termini non diebus paucis acutarum febrium definiuntur, sed ad multos sæpe menses protrahuntur.

Nesciunt itaq; quid loquantur, qui de mortis speciebus, & num hoc vel illo potius morbo perire malint, otiose deliberrantes, imprudenter reliquis phthisin præferunt, reputantes, se par hanc intellectu integro, & sine doloribus supremum diem aliquando acturos esse.

Legimus alicubi, talismodi errorem a nonnullis Austriæ indigenis foveri, ut, si de moderatiori vini usu, & ex abusu ejus metuenda tabe admonentur, intrepide respondeant, se ideo justo crebrius largiori vino viscera perfundere, ut viventes tempus suum in perpetua hilaritate transigere genioq; abunde satisfacere possint, morituri autem mente adhuc optime valentes, pedetentim, absq; turbatione corporis enormi, instar lampadis, per blandam humidi vitalis exsiccationem extingvantur.

Enimvero nisi in Austria simplex hectica ac marasmus cum febrili pulmonum exulceratione confunduntur, aut huius indoles ibi mitior, quam inter nostros esse solet, falluntur certe qui tam blandos sibi de eodem conceptus fingere conantur. Nam si vel maxime nonnullis, perfecta phthisi laborantibus, non admodum acerbus ex hac vita exitus concedatur, plerique tamen alii, præter ea pathemata, quæ supra nominatus Studiosus sustinebat, insuper subinde acri torrentur æstu, & de tristi ac *ὀσσεονότω* artuum spinæque sensu, ciborum item aversatione, siti, cephalalgia, diarrhoea, excoriatione ulcerosa cutis dorsi atque narium, & præterea singulari quadam, huicque morbo quasi propria *δυσσπερσνεία* conquirentes audiuntur.

Ut proinde *ἄγδοξω* prorsus simile videatur, ejusmodi ægrotos non serio sibi mortem, certissimam ærumnarum finem, exoptare; sed potius tantum non omnes eam anxie reformidare: ut quamvis non modo ex irrita tot pharmacorum usurpatione, & indies magis magisque collabante corporis energia, dubiisque Medicorum de reconvalescentia responsionibus, nihil de hac sperandum esse, tuto concludere possint, ipsi tamen, invita Hygiene, servari cupiant, omniumque ultimi bonam de salute futura conceptam fiduciam deponant.

Haud igitur reperias facile ægros, magis Medicorum præceptis obtemperantes, & quælibet promiscue oblata medicamenta avide, stasque & per apposita horologia definitis horis assumentes, quam ipsos phthificos, ut quos videas jam ultimum spiritum trahentes, & ad beatam *ἀνάλυσιν* dispositos, oblata tamen medicamenta minime aspernari, sed Medici manum prehendentem, cum gemitu, & vultu, ad commiserationem composito, prorogationem termini fatalis exposcere: ut tunc Medicum cordatum pudeat suæ impotentia, & pigeat artis adeo inopis auxilii, tædeatque jam re ipsa comprobari, *Phthysin opprobrium esse Medicorum.*

Hanc injuriam ut clarissimus

PAVLVS CHRISTOPHORVS SCHMIDIUS,

Medicinæ dignissimus Candidatus, a nostro ordine pro virili amoliatur, placuit ipsi, loco thematis inauguralis, de hoc morbo eruditam dissertationem conscribere.

Natus vero is est Regiomonti, in Neo - Marchia, An. M DCLXXVI, d. XXI, Maji, Patre JOACHIMO SCHMIDIO, ibidē Consule quondā prudentissimo, Consulis Soldinensium, ADAMI SCHMIDII, filio, & Matre DOROTHEA LORBERIA, Consulis Berovvaldensis filia, Matrona ob pietatem
&

& virtutes adhuc commendatissima; cuius, post obitum mariti,
 prima cura fuit, ut gnatus pietate, honestis moribus, & bonis
 literis instrueretur. Quem in finem, usque ad annum æta-
 tis suæ XVII, saluberrimæ informationi M. IO. KINDLE-
 RI, tunc Rectoris Regiomontanæ Scholæ, nunc Gymnasii
 Wismariensis amplissimi, & ConRectoris FRIDERICI
 MIKWIZII cum fructu fuit concreditus. Hinc biennii
 spatio per manuductionem clarissimorum virorum, IO.
 BODICKERI & CHRISTIANI ROTAIRIDIS
 in Gymnasio Coloniensi, ad Sævum, studiis sublimioribus
 aptus redditus, anno MDCVC, in nostra Academia, sub ma-
 gnifico Rectore, B. ERHARDO WEIGELIO, Philo-
 sophiæ atque Medicinæ operam dare cœpit. In illa lau-
 dat lectiones logicas & metaphysicas D. TREVNERI,
 physicas autem D. HAMBARGERI & D. WENZE-
 LII. In hac ex discursibus venerandi Facultatis Med. Seni-
 oris, magnifici D. CRAVSII, Hæredit. in *Mellingen*/ Prax.
 & Chim. PP. excellentissimi, publicis ac privatis egregios
 habuit successus: quos incomparabilis WEDELII, Hære-
 dit. in *Schwarga*/ Theoret. PP. famigeratissimi, Consilarii
 & Archiatri Sax. spectatissimi, hodie designati Academia
 Pro-Rectoris magnifici, fidelissima informatio mirifice au-
 xit; quando explicationibus ejus solidissimis institutionum,
 chimiæ, materiæ medicæ, de morbis infantum & mulierum,
 pathologicis item & semioticis, therapevticis ac diæteticis,
 publicis privatisque interesse licuit. His junxit quoque D.
 ERNESTI HEINRICI WEDELII, Poliatri Jenensis
 & Med. Duc. Provinc. felicissimi, eruditas in Instituta com-
 mentationes. Me, disciplinas Professionis meæ domi fo-
 risq; interpretantem, ultra triennium indefessa sedulitate est
 secutus, crebrisque vicibus, cum in cathedra privata Physio-
 logia



logia Wedeliana, ut & post hanc Pathologia dogmat. & tandem Amœnitates mat. med. a selectis quibusdam ingeniis ventilarenter, arguti opponentis prudentisque respondentis munus gesfit.

His ita apud nos cum laude peractis, adiit Francofurtum ad Viadrum, celeberrimum D. VEHRIV Mauditurus: unde domum concedens, nihil intermisit, quod ad majorem perfectionem studiorum ipsamque Praxin facere posset.

Ne vero hanc sine honoris titulo aggredetur, antemensem, ut gratum discipulum decet, ad nos, suos Praeceptores rediit, publicum eruditionis testimonium petens. Quod ut ex merito accipiat, post consveta examina ipsi cathedra publica concessa est, ubi cras, Deo volente, sub praesidio CRAVSIANO de *Pbtbisi* disputabit. Cui actui ut magnif. Rector, magnificus Pro-Rector, illustrissimi Comites, Academiae Proceres & Hospites omnium ordinum honoratissimi, universaq; studiosa Iuventus benevole adesse velint, est quod officiosissime & amanter rogo. Dab. Jenæ, sub sigillo Facultatis, d. XI. Julii, Anno MDC C.



90 A 6421

f

ULB Halle 3
 002 927 306



Nr. 37 nur


TA -> OL


Verknüpfung

R

VD 17







14.
a

FACULTATIS MEDICÆ IENENSIS DECANI
IO. HADRIANI
SLEVOGTII,
M. D. ANAT. CHIR. & BOT.
P. P. ITEMQUE MED. DVC.
PROVINC.

Prolusio Inauguralis

DE
PHTHISI
MEDICORVM OPPROBRIO.

LITERIS KREBSIANIS.

